

dari, et existentia, seu esse Dei non repugnat dari, et immensitas, et æternitas, et quodlibet attributum non repugnat dari: ergo si hoc solummodo datur posse ad velle, id est, non repugnantia volitionis, nihil dicimus quod non sit commune omni attributo, et omni actui secundo; et sic non condistinguimus actum secundum a potentia, quæ est principium ejus, nec respondemus difficultati, an detur potentia, quæ sit principium, et virtus influxiva in actum secundum, ut in operationem suam.

XII. Loquendo ergo de potentia physica, et influxiva mens S. Thomæ clare videtur colligi ex II contra gentiles, cap. X et I p. q. XLII, art. IV ad III. Nam priori loco sic dicit: « Potentia non dicitur in Deo sicut principium actionis, sed sicut principium facti; quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principii, est enim potentia activa principium agendi in aliud, ut patet per philosophum in V met. Manifestum est quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem, nisi secundum modum intelligendi, prout noster intellectus diversis conceptionibus utrumque considerat, id est, divinam potentiam, et ejus actionem: unde si aliquæ actiones Deo conveniant, quæ non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu harum non dicitur in Deo potentia nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem: hujusmodi autem actiones sunt intelligere et velle: potentia igitur Dei proprie loquendo non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus: intellectus igitur, et voluntas in Deo non sunt ut potentiæ, sed solum ut actiones. » Posteriori loco sic dicit D. Thomas: « Intelli-

gere et velle non sunt tales actus qui designent processionem alicujus rei a Deo distinctæ vel essentialiter vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi et significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus, et intelligere, cum tamen ipsum intelligere sit ejus essentia non habens principium. » Sic D. Thomas.

XIII. Ex quibus locis colliguntur istæ tres propositiones de mente D. Thomæ.

Prima, quod respectu actionis non datur secundum veritatem potentia in Deo, licet detur respectu termini producti, seu procedentis per actum.

Secunda, quod datur potentia respectu actus solum secundum modum significandi, non ex parte rei significatæ, sub diversis tamen conceptibus diversum illum modum, seu sub diverso illo modo significantibus.

Tertia, quod eodem modo loquendum est de voluntate, atque de intellectu quoad negandam rationem potentiæ, excepto quod intelligere constituit ipsam naturam Dei. Unde addo illationem, quod sicut de intelligere negamus omnem conceptum actus primi ex parte rei conceptæ, ita debemus negare in ipso velle, excepto solum quod velle non constituit naturam divinam, sicut intelligere, sed se habet ut consecutum ad illud, et hac ratione respectu ipsius intelligere, ut natura divina est, volitio habeat quasirationem operationis, ut statim explicabimus.

Pro hujus intelligentia nota tres terminos.

Primum, quid sit aliquid Deo attribui secundum modum significandi, quid ex parte rei significatæ.

Secundum, sub qua consideratione potentia significatur in Deo.

Tertium, quomodo operatio ei attribuitur.

XIV. Primum sic explico: Illa dicuntur attribui Deo, ex parte rei conceptæ, quando res ipsa repræsentata vere invenitur in re in Deo, licet in conceptu repræsentetur ut distincta ab alia perfectione, cum tamen in Deo totum sit una entitas, sicut sapientia, et justitia Dei a nobis diversis conceptibus repræsentantur; et quælibet perfectio repræsentata invenitur in Deo, v. g. sapientia, et justitia, sed non invenitur una distincta ab alia, sed totum est una entitas. Illa vero dicuntur secundum modum significandi attribui Deo, quæ ita repræsentantur, ut in Deo in re non sint, sed nos non possumus nisi sub illa connotatione, et modo ea repræsentare: sicut cum aliquod attributum repræsentamus per ordinem ad creaturam, qui ordo in Deo non est, nec potest correspondere illi respectui, quantumcumque præciso conceptu velimus illum apprehendere, aliqua relatio in re, se tenens ex parte Dei, quia talis relatio in Deo non est etiam identificata cum aliis attributis, sed solum ex modo nostro concipiendi imperfecte concipitur sic.

XV. Secundum sic explico: Quod potentia potest comparari ad suum exercitium et operationem dupliciter. Primo, in ratione principii fundantis, seu sustentantis operationem, et quasi ex parte suppositi se tenentis tamquam res operans. Secundo, in ratione actus primi, id est, ulterius actuabilis, et in ultimo actu constituibilis: sicut se habent essentia, et esse, quod essentia potest comparari ad esse, vel sicut ipsa substantia et quidditas rei, quæ per esse non constituitur, sed res constituta per esse extrahitur a suis

causis, et sic dicit perfectionem, nec repugnat Deo; vel potest comparari in ratione actus condistincti ab existentia, et est actuabilis per ipsam, et sic consideratur ut aliquid actuabile, et minus in ratione actus quam existentia, quæ est actus ultimus in essendo. Et hoc modo non invenitur in Deo conceptus essentiæ seorsum ab existentia, et sub distincto conceptu, ei correspondens.

XVI. Tertium sic explico: Quod operatio importat duo scilicet exitum ab operante, et actum secundum, seu ultimum in genere operativo. Et sub præcisa ratione exitus, seu egressionis ab operante non repugnat Deo, nisi ob summam ejus simplicitatem, quia non potest dari realis egressio, nisi ubi est realis distinctio, quæ in Deo non invenitur, nisi ubi obviat oppositio relativa: in absolutis enim distinctio esse non potest. Seclusa autem ratione hac summæ unitatis, non repugnat egressio, et origo unius ab alio, ut patet in Personis divinis, quarum quælibet habet summam perfectionem, et tamen procedit una ab alia. Unde si cum summa unitate Dei compatitur virtualis distinctio, compatietur virtualis, seu eminentialis egressio, qua ratione admisimus in Deo virtualem, et eminentem rationem operationis etiam in intellectu præcedenti tomo, disp. XVI, art. II. Cæterum considerata operatione in ratione actus ultimi, et secundi, non potest considerari aliquid ab illa distinctum, nisi vel quia etiam est actus secundus, et ultimus in alia linea, et eo in alio genere, sicut intelligere comparatur ad velle, et unum attributum ad aliud, vel quia intra eandem lineam consideratur ut potentia et actus primus, et consequenter ut actuabilis; et consummabilis per actum secundum. Et hoc est quod repugnat conceptui actus puri, ut dixi-

mus disputatione citato et jam iterum explicamus.

PRIMA PROPOSITIO D. THOMÆ DECLARATUR.

XVII. Hoc supposito explicamus mentem S. Thomæ et propositionis ejus. Negat prima propositio rationem potentiæ respectu actionis, seu actus, tam volendi, quam intelligendi, vel exequendi, quod intelligitur de potentia per modum actus primi, sive formalis, sive virtualis intra eandem lineam sui actus, v. g. potentiam, seu actum primum in genere volitivo ad volendum, in genere intellectivo ad intelligendum, etc. Nam quod unum attributum infra suam lineam perfectum, et in actu ultimo et puro intelligatur quasi radix et principium alterius, vel ipsa natura, quæ se habet ut radix respectu alicujus attributi, vel operationis, non repugnat, nec hoc pertinet ad rationem actus primi. Et negamus talem potentiam tam formalem, et secundum rem in Deo, quam virtuales, et secundum munus actus primi. Sicut non potest dici quod in Deo sit potentialitas aliqua virtualis, sicut non potest dici quod est imperfectio virtualis in Deo. De actu primo formali patet, quia hoc ipso quod dicimus actum primum, secernimus ab illo conceptu actum ejus ultimum, et secundum: ergo in illa linea concipimus aliquid ut amplius actuabile et consummabile per ulteriorem actum: ergo ille conceptus actus primi ita est actus quod est actuabilis, utpote nondum ultimus actus, in illa linea: ergo pugnat cum conceptu actus puri, qui est summus actus, et nullo modo actuabilis quia excludit intrinsece omnem potentialitatem, et imperfectionem: ergo et omnem actua-

biliter: est enim actuabile aliquid sub ratione alicujus potentialitatis. Et sic licet plures conceptus et lineas, seu genera perfectionum possimus distinguere in Deo, quarum quælibet in sua linea actus purus sit, explicatus tamen per diversos conceptus, seu attributa, tamen quod dividatur unus conceptus tamquam actus primus, et alius tamquam actus ultimus, et secundus in eadem linea, seu perfectione, non stat, nisi solvendo conceptum actus puri, qui non patitur conceptum actus ulterius actuabilis, sed summus actus est.

XVIII. Et hinc probatur non posse etiam virtuales actum primum Deo attribui, ita quod ex parte rei conceptæ ei conveniat, quia quod in sua intrinseca ratione potentialitatem, et consequenter oppositionem habet cum ratione actus puri, nec virtualiter potest esse in Deo, quia nihil est in Deo nisi purificatum ab omni imperfectione, nec potest in Deo esse virtualiter, quod in se intrinsece imperfectum est, alioquin possemus dicere quod Deus virtualiter realiter est ens limitatum et impotens et deficiens, quod est implicatorium, cum Deus in se sit omnibus modis perfectus, nec possit ei attribui aliquid sive virtuale, sive formale, quod vere divinum sit, et ei conveniens realiter in se, nisi sub ratione, et conceptu perfectionis omnem imperfectionem excludente. Imo et si perfectiones omnes creatas contineat, et fungatur illarum vice, non tamen continet etiam virtualiter earum imperfectiones et potentialitates, quia illud continet Deus virtualiter, et eminenter, cujus est principium, et quod a se participatur: non participatur autem imperfectio aut potentialitas: non ergo id continet etiam virtualiter. Unde excludimus a Deo omnem conceptum virtuales rei imperfectæ, quo ali-

qui recentiores conantur Deo intrudere, v. g. conceptum contingentis virtualis, actus primi virtualis, et similia, (possint etiam limitationem virtuales dependentiam, deficientiam virtuales Deo imponere) existimantque illo nomine virtualis, quasi spongia quadam deleri omnem creaturæ sordem, Deoque posse attribui, eo quod summa illa, et eminentissima entitate sua fungitur vice omnium eorum, quæ in diversis, et imperfectis creaturis dispersa sunt. Sed falluntur vehementer, et nihil hoc pertinet ad explicandam præsentem quæstionem, in qua tractantes, an voluntas divina, ut in Deo est, secundum rem, habeat vim potentiæ et actus primi per ordinem ad actum secundum, ita quod ex parte rei conceptæ attribuat Deo actus primus in re identificatus cum secundo, per nostros conceptus divisus, sicut dividitur immensitas, et æternitas, justitia, et sapientia, et uterque conceptus Deo datur, licet distinctio eorum non sit in re.

XIX. Ostende hoc, quia ille virtualis actus primus, qui attribuitur divinæ voluntati, vel est in Deo realiter, et constituit illum ut potentem in ratione divinæ voluntatis ad actum, et operationem suam, vel solum ut continentem omnem potentiam, et actum primum voluntatis creatæ, quam manifestum est continere, quia causat, et derivat illam a se, quidquid autem causatur a Deo est in Deo ut in causa. Si dicatur actum primum virtuales solum dici virtualiter esse in Deo, quia in eo virtualiter continetur actus primus creatus, ut in causa, sic omnino est extra rem, quia nos non quærimus in præsentem an Deus contineat in se, vel in causa, voluntatem creatam, et non solum actum secundum ejus, sed etiam actum primum: constat enim quod totum

hoc causatur a Deo; sed quærimus an Deus ipse in se habeat voluntatem per modum actus primi, ita quod actus primus sit divinus, et non solus creatus, non solum contentus eminenter, et virtualiter in Deo, ut effectus in causa, sed etiam realiter sit ipse Deus. Si autem auctores illi et assertores actus primi et potentiæ virtualis in divina voluntate nihil aliud volunt dicere, quam quod voluntas divina continet eminenter potentiam, et actum primum voluntatis creatæ, non respondent quæstioni, nec nos in hac parte difficultatem habemus, quis enim dubitare potest, quod Deus virtualiter et tamquam in causa contineat omnem potentiam et actum primum creatum? Aut quis etiam dubitare potest, quod quando alii auctores dicunt esse in Deo potentiam voluntatis, et actum primum formaliter ut supra retulimus, quibus opponuntur isti auctores qui dicunt solum esse virtualiter, non intelligunt quod in Deo sit formaliter potentia, et actus primus creatus, seu voluntatis creatæ. Quis enim hoc diceret, nisi insaniens? Ergo si contra illos dicunt isti auctores solum in Deo esse potentiam virtuales, loquuntur de virtuali potentia, quæ sit in Deo, non de continentia virtuali, tamquam in causa potentiæ voluntatis creatæ: in hoc enim nullo modo illis opponuntur, nec ad rem loquuntur.

XX. Si autem dicatur primum, scilicet potentiam illam virtuales per modum actus primi non solum esse voluntatem creatam in Deo contentam ut in causa, sed esse realiter divinam entitatem, illamque reddere realiter potentem, licet virtualiter, id est, fugentem vice potentiæ eminentiori modo quam creaturæ, contra est, quia in hoc nihil hæc sententia addit supra illam, quæ docet dari actum primum formaliter in

Deo, licet sola ratione distinctum ab actu secundo, cum fundamento in re, quod fundamentum est virtualis distinctio, id est, non actualis sed fundamentalis. Non etiam illa sententia fatetur in re non distinguere actum primum a secundo, sed esse eandem prorsus entitatem eminentia sua fungentem utriusque officio, ita tamen distinguibilem per duos conceptus, quod non solum ex modo significandi, sed ex parte rei conceptæ, uni conceptui correspondet actus primus tantum, alteri actus secundus tantum, sicut eadem res est justitia, et misericordia fungens utriusque munere, sed tamen formaliter, et in re correspondet aliquid conceptui justitiæ, et aliquid conceptui misericordiæ, quæ solum distinguuntur actu formaliter per intellectum, et in re virtualiter, seu fundamentaliter. Et similiter se habet paternitas, et essentia quæ in re sunt eadem entitas, communicabilis ut essentia, incommunicabilis ut relatio; quo exemplo utuntur. Si auctores ad explicandum illum virtualem actum primum et tamen justitia et misericordia, paternitas et essentia formaliter sunt in Deo, non virtualiter tantum. Ergo non amplius dicunt, quam illi qui ponunt formaliter dari actum primum, sed sola ratione distinguere, et qui ponunt formaliter dari paternitatem, sed sola ratione distinguere ab essentia. Cujus signum evidens est, quod si dividuntur illi duo conceptus, et virtualem distinctionem beneficio intellectus actualem reddunt, uni conceptui correspondet actus primus in Deo sine secundo, et alteri actus secundus sine primo, sicut uni conceptui correspondet paternitas sine essentia, alteri essentia sine paternitate, et idem est de omnibus attributis. Si autem correspondet uni formaliter actus primus divinus, licet sola ratione distinctus

ab actu secundo, nihil aliud significatur illo termino virtualis potentia, quam illo termino formalis potentia, licet sola ratione distincta ab actu secundo, sicut idem est dicere virtualis paternitas quod formalis paternitas, id est, virtualiter solum distincta ab essentia. Aut si aliquid aliud correspondet illi conceptui præciso, quam actus primus formaliter, vel formaliter erit actus secundus, et sic non est præcindere ab actu secundo, et ponere ex parte rei conceptæ actum primum in Deo, distinctum ab actu secundo, nec aliquid illo conceptu virtualis actus primi explicatur, quod non conceptu formalis actus primi, ut distincti ab actu secundo.

XXI. Itaque istis duobus conceptibus separatis per intellectum, ille qui repræsentat potentiam seu actum primum per respectum ad actum secundum, sed segregatum ab ipso, non repræsentat illum in actu ultimo possibili in illa linea, v. g. in linea voluntatis, et intellectus, aut alterius potentiæ, si quidem actus secundus est actus posterior, et ultimus in illo ordine: ergo ille conceptus sic prævisus non est conceptus actus puri in illa linea. Patet consequentia, quia actus purus est actus summus nihil potentialitatis aut actuabilitatis habens, ita quod non sit reducibilis ad ulteriorem actum, alioquin si est reducibilis, illud habet minus de actu, et sic non est summus. Si autem datur conceptus actus primi seorsim a secundo, ille nondum est in ultimo actu illius lineæ, sed est reducibilis ad ulteriorem actum, si quidem deest ei secundus actus: ergo non est actus purus et summus in illo ordine. Nullus autem conceptus datur de Deo, quantumcumque præcisus ab alio conceptu vel attributo, quin uterque repræsentet actum purum in illo ordine et linea, quia id quod

repræsentat divinum, esse debet non creatum, nihil autem est divinum quod non sit actus purus omnem actuabilitatem et potentialitatem excludens.

XXII. Ex quo patet esse differentiam inter distinctionem unius attributi ab alio, et distinctionem actus primi a secundo, quod etsi distinguantur duo attributa, utriusque tamen attribuitur, et correspondet ratio actus puri, et actualitatis divinæ, quia utrumque concipitur ut aliquid divinum et summum, non creatum, licet quia totam divinitatis perfectionem unicus conceptus noster exprimere non possit, dividit conceptus, quorum cuilibet correspondet perfectio ut divina, et in actu ultimo, licet non exprimat omne quod in re identificatur cum tali perfectione; sed tamen id quod pertinet ad formalem rationem, et lineam illius perfectionis sub actu puro et divino explicare debet, quod non fit, si distinguitur in eadem linea unius perfectionis actus primus et secundus, quia ille primus non exprimitur in actu ultimo, et consequenter nec in actu puro. Et licet unum attributum se habeat ut radix, seu ratio, aut fundamentum alterius, sicut immutabilitas est ratio æternitatis, et natura est ratio proprietatum relationum, et operationum; tamen non per hoc intelligitur sub ratione actus primi, et non ultimi, sed utrumque intelligitur ut actus purus, et divinus in sua formali perfectione, et in sua linea. Dicitur autem unum se habere ut rationem et fundamentum alterius propter connexionem unius cum altero, non solum identice, sed etiam formaliter, non vero propter emanationem unius ab altero, vel potentialitatem et actuabilitatem unius erga aliud.

XXIII. Quod autem concedimus in hac propositione potentiam, seu

rationem principii ad terminum procedentem, jam supra rationem reddidimus, quia respectu termini procedentis, sive facti, sive non facti, potentia, seu principium importat ultimam, et puram perfectionem, quia non comparatur ad terminum procedentem, ut ad aliquid actuans se, sed ad aliquid accipiens a se; et ita ratio potentiæ, seu principii sub illo respectu solum importat rationem dantis et perficientis, non perfectibilis. Unde ulterius fit quod etiam respectu ipsius actus ut tangens et connotantis talem terminum datur potentia, et ratio principii, quia talis actus sub illa connotatione et attingentia non consideratur ut actus ultimus perficiens ipsam potentiam, et actum primum, sed perficiens, et tangens ipsum terminum, et sic ad talem actum ut perficientem aliud (scilicet terminum) non se, id est, potentiam et principium, non est mirum quod datur ratio principii: sic enim non induit consideratio actus primi, id est, perfectibilis ab actu secundo, sed ut pure perficientis sub illo respectu ipsum terminum.

SECUNDA PROPOSITIO D. THOMÆ.

XXIV. Concedit quod secundum modum significandi et intelligendi potest dari in Deo potentia distincta ab actu. Quod ex notabili supra posito explicari debet de distinctione, non ex parte rei conceptæ, et quæ est rationis ratiocinatæ cum fundamento in re, sed de distinctione rationis ratiocinantis, et quæ solum tenet se ex parte nostri intellectus, et modi cognoscendi illius. Quod triplici modo potest facere intellectus. Primo, ex parte ipsius potentiæ, accipiendo non ipsam rationem actus primi, sed ipsam rationem operantis, ut significatur a no-